

# IN PRIMAM PAVLI AD

R H O M A N O S E P I S T O L A M , A T H A N A S I I , V E L P O T I V S , ( V T P L A E R I Q V E V O L V N T ) V V L G A R I I , P R O L O G V S .

*Ex Bibliotheca Pauli*



Acrarum literarum frequentior lectio, ad sui cognitionem homines ducit. Inquit enim ueridicus ille: Quarite, & inuenietis; pulsate, & aperiet uobis. Quocirca tunc harum epistolarum mysteria pernoscemus, quum eas diligentius lectitarimus. At qui Paulus eò plurimū uniuersos doctrinæ excellentia superauit, quò maiorem præ cæteris laborem insumpsit, abundeque est spiritus sancti gratiam assecutus. quod sanè non solum ex eius epistolis, uerum & Apostolorum ex actis cognosci potest. Mercurij nancq; apud Gentiles, ob ipsius præstantiam eloquentiæ, nomen sortitus est. Prima itaq; epistolarum ad Romanos habetur. Nec tamen idcirco quòd prior conscripta sit. siquidem hanc, ad Corinthios duæ, & ad Thessalonicenses una iam antecesserant, quibus ad Hierosolimam facit de transmissis ad uicium necessarijs mentionem, & alia præterea ad Galatas. Hanc itaq; ad Romanos epistolam, eo priorem locum obtinuisse putandum est: quia istiusmodi ordo in sacris literis nequaquam necessitate ulla exigitur. Nam & duodecim propheta, & si non isdem temporibus extiteret, (quin longo potius interuallo distarēt) sic tamen sunt in sacris codicibus positi, perinde ac sese inuicem sint subsequuti. Scribit autem ad Romanos Apostolus, Euangelij ministerio fungēs, tanquam ad orbis terrarum principes. Qui enim caput iuuerit, & reliquis membris adferat utilitatem, necesse est.

*Apostolus apud Gentiles ob eloquentiam Mercurius dicitur.*

*Epistola ad Romanos cur prima ordine.*

## C A P V T I .

Paulus) Nec Moses ipse, nec eius posteri plarique, neq; hi qui Euangelium scripserunt, suum nomē literarum primordijs adiecere. Hic uerò uir perbeatus, suis epistolis suum nomen præponit: quippe qui ad eos literas daret, qui longè abessent: quum propheta illi ad præsentes scriberent. Quod tamen haud quaquam agit, quum ad Hebræos literas scribit: ne illi quum se infensum haberent, quia & præputium tolleret, & legem uideretur ut inanem continere; initio statim nomine eius perlecto, & scripta simul respuerent. Quæret aliquis: cur ex Saulo sit Paulus appellatus. Ne fortè Apostolorum principe haberetur inferior, qui & Cephas & Petrus sit dicitur: uel Zebedæi liberis, quibus & Boanerges fuerit, id est, tonitruui filij inditum nomen.

*Petrus dicitur etiam Cephas.*

\* Seruus) Multiplex sanè est & uaria seruitus, aut em̄ creationis iure obuēnit, qua omnia dicuntur Deo esse subiecta: aut ex fide, ut illud: Obcedistis autē ex corde in eam formam doctrinæ, in qua traditi estis: aut ex uitæ moribus, quibus & Moses Dei seruus est nuncupatus. His omnibus seruitutis modis, Paulus dicitur est seruus.

\* Iesu Christi) Dispensationis ipsius nomina præfert: ab inferioribus ad superiora conuolvens. Constat enim Christum Iesum carne assumpta, fuisse non Deo, sed spiritu sancto perunctum: qui oleo quouis est efficacior. Quòd autē uel sine oleo constare unctio queat, illud audi: Christos meos, hoc est, unctos meos nequaquam attingite. quod sanè dictum ad ea pertinet, quæ ante conditam legem fuere, quando nec nomen quidem extaret huiusmodi ex oleo unctiois.

*Christus Græcè, Latine unctus.*

\* Vocatus) Humilitatem præfert hoc uerbum. Ostendit enim non conquirendo se id reperisse: sed uenisse accitum.

\* Apostolus) Ad reliquorum, qui & uocati sunt, differentiam subinde dicit. Illi quidem ad fidem duntaxat sunt acciti: mihi uerò apostolatus id muneris & creditum est, & demā datum, quod Christo ipsi à patre missio est traditum.

\* Segregatus in Euangelium,) Id est, deputatus ad Euangelij dispensationem. Vel aliter: Segregatus, id est, ad id prædestinatus: quem admodum & Hieremiam alloquit Deus: Priusquam de uulua exires, sanctificauit te. Et alio in loco Paulus: Quum autem Deo placitum est me segregare de utero matris meæ. Nec sanè frustra id, inquit, quòd & uocatus sum, & segregatus in Euangelium. Quum enim ad elatos quosdam (Romanos dico) &

a insolentes